Ro. Nov. Soc. Jesu

Ex libris A. P.

A.º 1751

p.

11

EXERCITIVM PIETATIS QVOTIDIANÆ

Ad
Vulnera & Passionem
CHRISTI,
PRO
OBTINENDA FELICI
MORTE.

Cum alijs in eundem finem adjunctis Devotionibus.

In lucem editum

VILNÆ, Typis Academicis
Societatis IESV.
Anno 1668.

Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum.

Eccles: 14. ℣.17.

MEMORIALE
PERPETVVM
PASSIONIS

Et vulnerum Domini Nostri
IESV CHRISTI
In septem Ferias totius Hebdomadæ distributum. Pro obtinẽda felici morte vsurpandum. Ex libello edito Italicè Neapoli Anno 1645. desumptum.

Cùm certum omnino sit nos vno aliquo è septem totiùs hebdomadæ diebus, ex hac vita ad alteram emigraturos: æquum profectò est, vt quolibet die, singulariter ad hanc migrationem faciendam nos præparemus ac disponamus. Nullum verò certiùs

salutis nostræ æternæ pignus habemus: quàm Sangvinem & Passionem Redemptoris Nostri IESV CHristi, cujus signa ac stigmata per totam æternitatem retinere voluit in sua Sanctissima Humanitate, scilicet vulnera Sacratissima. Horum itaq; memoriam & venerationem distribuere possumus in singulas hebdomadæ ferias, pro toto vitæ nostræ tempore tali modo ac ordine.

Inprimis mane post adorationem & glorificationem Sanctissimæ Trinitatis: post factam Fidei professionem recitando *credo*. post actas DEo gratias, quòd ista nocte servârit te, & defenderit à plurimis periculis post purgatam animam per actum pœnitetiæ de peccatis, & intimæ Contritionis ob com-

ob commiſſas offenſas in tantum Dominum, Creatorem, Conſervatorem, Principium & Finem omnis boni Noſtri.

Rogabis Angelum tuum Cuſtodem, vt animam Tuam præſentet coram Sanctiſſima Virgine Matre MARIA. Conſtitutus deinde cum Angelo ante illam, ſalutabis ipſam recitando. Ave MARIA. Poſt ſalutationem ſupplicabis tanquam Theſaurariæ Sacratiſſimorum vulnerum, & totius Theſauri Domini Noſtri, vt te introducat in vulnus pro illo die aſſignatum dicendo:

Sancta Mater iſtud agas, Crucifixi fige plagas, Cordi meo validè. Fac vt portem CHriſti mortem Paßionis ejus ſortem, & plagas recolere.

Deinde animâ per Sanctiſſimam Virginem introductâ ſalutabis

bis vulnus (secundùm ordinem in singulos dies distributum) & post salutationem Sacratissimi vulneris cum grādi affectu dices.

Hæc requies mea in sæculum seculi; hîc habitubo, quoniam elegi eam.

Postea facies amplissimam oblationem tui, rerum omnium tuarum, omnium cogitationum, Verborum, & operum omnium, quæ illo die pati ac sustinere contigerit: volendo, vt omnia ea suam stationem habeant in illa plaga CHristi toto die.

Præterea protestaberis nolle animam Tuam egredi, quacunq; de causa ex illo vulnere; sed ibi inclusam pugnaturam contra insultus triplicis inimici: ibi morituram: inde transituram ex isto sæculo ad æternam gloriam.

Deniq;

Deniq; quia nos ex nobis nihil boni poſſumus operari, rogabis Dominum, obteſtando per illud vulnus, & per dolorem quē ex eo vulnere ſenſit, & per ſangvinem inde effuſum, vt ad bona Propoſita exequenda gratiam ſuam largiri dignetur.

PRO FERIA SECVNDA.

Exercitium circa vulnus Pedis Siniſtri.

Adoratio ſanctiſſimæ Trinitatis.

BEnedicta ſit ſancta Trinitas atq; indiviſa Vnitas, confitebimur ei quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu: Laude-

mus & superexaltemus eum in sęcula. Gloria Patri &c.

Professio Fidei.

Humillimè, te Deus omnis veri Fontē adoro, & firmissimè credo omnia & singula à Te Deus meus, Suprema & infallibilis Veritas, revelata, & per Ecclesiam Sanctam Catholicam ad credendum proposita; paratúsq; sum mori potiùs quàm aliquid aliquādo ex illis negare: DEus adauge Fidem meam, Credo in Deum Patrem omnipotentem &c.

Gratiarum actio.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus, Dextera Domini fecit virtutem, Dextera Domini exaltavit me. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra

intra me sunt Nomini sancto ejus. Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te DEum Salvatorē meum. Confitebor Nomini Tuo quoniam adjutor & Protector factus es mihi. Liberâsti corpus meum à perditione, liberâsti animam meam secundùm multitudinem Misericordiæ Tuæ, à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium eam, de pressura flammæ, de altitudine ventris inferi. Laudabit usq; ad mortem anima mea.

Confitemini Domino quoniā bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Benedicam itaq; te Domine in omni tempore. Semper laus Tua erit in corde & in ore meo: quia eripuisti animam meam de morte, &

te, & pedes meos à lapsu, & de manu canis vnicam meam. Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam Nomini Tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Purgatio animæ per dolorem.

DOmine mi Creator, Conservator, Principium & Finis, Omnis boni, ipsa per essentiam Bonitas, Bonumq; incomprehẽsum, ipsa pulchritudo & amabilitas, in vnione illius amoris quo te amant omnes Sancti, Angeli, Beatissima Virgo, CHristus, & tu ipse, amo te Deus meus super omnia: ideóq; omnem offensam Tuam, quia offensa tua est, odi supra omne odibile & detestabile, velléq; odisse illam illo odio, quo oderunt omnes sancti Tui tecum regnantes. Doleo Deus meus super o-

per omnia, quod te aliquando offenderim: maloq; mori deinceps, quàm Te ſummum Bonum mortali peccato aliquando offẽdere. O mi DEus Cor cordis mei, & vita vitæ meæ, da mihi verum amorem Tui, da vt nunquam amorem Tui perdam, da vt amore Tui moriar, qui amore mei mortuus es. O me infelicem, qui neq; deteſtor peccatum, quantùm debeo, neq; vito quantùm poſſum. DEus meus adjuva me, in Te confido, non erubeſcã. Hodie ſingulariter hoc N. N. cavere volo. Recitetur Pater noſter &c.

Allocutio angeli cuſtodis.

S. Angele DEi qui Cuſtos es mei, qui me tibi commiſſum pro ſingulari pietate tua, amantiſſi-

mè ſo-

mè foves, studiosissimè defendis, sollicitè gubernas, adde beneficijs Tuis, vt me in conspectum Reginæ Angelorum, Dominæ Nostræ Augustissimæ introducere digneris, animámq; meam illi præsentare.

In conspectu Beatissimæ Virginis cum Angelo custode stans, & profundam reverentiam exhibendo dic:

Ave MARIA gratia plena &c.

Postea. O Domina mea Sancta MARIA, agnosco & veneror Tuam dignitatem, quâ materno jure constituta es super opera manuum DEi, Præses, & Gubernatrix, Dispensatrix & Thesauraria bonorum Filij Tui IESV, & pretij Sangvinis ejus: Ianitrix Vulnerũ ejus: rogo Te Sanctissima Mater per Materna viscera Tua, IESVM benedi-

benedictum Fructum ventris Tui ostende, & me indignissimum homuncionem dignare introducere in Vulnus Sinistri Pedis Dilectissimi Filij Tui Domini mei IESV CHristi.

Sancta Mater istud agas
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.
Fac vt plangam CHristi mortē
Passionis ejus sortem
Et plagas recolere.

Cùm à Beatißima Virgine coram CHristo constitutus fueris, dic in terram procidens.

Adoramus Te CHriste, & benedicimus Tibi, quia per sanctam Crucem redemisti mundum.

Quasi insinuans te sacrato Vulneri Sinistri Pedis. dic.

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino

mino. Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam.

Tunc deosculans sacratū vulnus, dic.

Salvete pedes adorandi Domini Nostri IESV CHristi pro nobis cruci clavis affixi.

Postea speciali affectu dices.

Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo quoniam elegi eam.

Domine IESV CHriste in hoc Sacratissimo Vulnere Sinistri Pedis Tui depono animam & Corpus meum omnes cogitationes, verba, & actiones meas, & quidquid hodie pati cōtigerit. Quàm dilecta Tabernacula Tua Domine virtutum! Ecce passer invenit sibi domum, & turtur nidum, Vbi ponat pullos suos. Protestor proinde coram Te IESV mi, & corā

vniversa

vniversa Curia Cęlesti, quòd inde nulla de causa egredi velim? hîc volo manere, inde contra hostes meos decertare, hîc opto mori, inde à Te vocatus ex hac vita ad alteram trãsire. Sed quia agnosco & confiteor fragilitatem meam, totam meam spem colloco in Te Optime IESV, & in virtute SS. Passionis Tuæ: quare per Sacratissimum Vulnus Sinistri Pedis Tui, per dolorem, quem ex eo sensisti, per Sangvinem pretiosum inde effusum, rogo te, vt gratiâ Tuâ me munire, atq; ad constanter exequenda bona proposita confortare digneris. IESV dulcissime, IESV DEus cordis mei, per sacratissimum Vulnus &c. miserere animæ meæ, quam pretioso sangvine tuo redemisti

nec

nec permittas illam à Te separari, per æternam damnationem, vel peccatum mortale, vel veniale deliberatum, vel pœnas alterius vitæ. Hoc per infinitum amorẽ tuum qui te pro nobis vulnerari & cruci affigi fecit supplex oro.

Deniq; addes. 3. *Pater, & Aue. ac semel* Credo. *in memoriam trium horarum, quibus CHristus in Cruce pependit, & passus est, ac sequentes subjunges Orationes.*

ORATIO

Ad Crucifixum pro felici morte.

DOmine IESV CHriste Crucifixe, per illam amaritudinem quam sustinuisti propter me in Cruce, maximè quando benedicta anima Tua egressa est de Corpore Tuo, miserere animæ meæ in egressu suo; Qui vivis & regnas &c.

O bone

O Bone IESV, ne deſeras me in vltimis anguſtijs, in ſuprema mortis lucta, à qua tota pendet æternitas.

Domine IESV CHRiſte Fili Dei vivi, pone Paſſionem, Crucē, & mortem tuam inter judicium Tuum, & animam meam, nunc & in hora mortis meæ, & mihi largiri digneris gratiam & miſericordiam, vivis & Defunctis requiem & veniam, Eccleſiæ Tuæ pacem & concordiam, & nobis peccatoribus vitam & gloriam ſempiternam. Qui vivis & regnas &c.

Hoc Exercitium commodiſſimè peragetur coram Venerabili Sacramento; quod ſi fieri nequeat, curandum erit, vt fiat coram

imagi-

imagine aut ſtatua CHriſti Cruci affixi. Toto autem deinceps die anima quieſcens in Sacro vulnere, exercebit ſe identidem conſiderando dolorem intenſum, quē ſenſit Dominus noſter mitiſſimus ex hoc vulnere in hac parte tam plena nervis & dura, quæ eſt baſis totius ſtructuræ Corporis humani, & habet connexionem cū omnibus reliquis partibus. *secūdò.* Conſiderando amorem, quo tātos dolores perferre voluit. *Tertio.* Conſiderando finem, propter quem paſſus eſt, & hodie quidem conſiderandus erit vnus ex multis, nempe ſatisfactio pro noſtris peccatis. Quare per totum iſtum diem, eliciendi erunt actus doloris de peccatis noſtris, tanquam de cauſa tantorum cruciatuum.

Poſſunt

Poſſunt autem ſequẽtes aut ſimiles actus doloris elici.

I.

DEus meus & omnia ex ſolo amore Tui doleo, quòd vnquam peccavi. Quia te offendi.

II.

Amo te DEus ſuper omnia, & ex ſolo amore Tui doleo, quòd vnquam peccârim.

III.

Doleo ô Deus, quòd vnquam Te, quem amo ſuper omnia, offendi.

IV.

DEus meus, doleo ex toto corde, de omnibus peccatis meis, idq; maximè quia Tuæ Divinæ diſplicent Majeſtati.

V.

O IESV, doleo ex amore Tui, quòd offenderim Te.

VI. Pœ-

VI.

Pœnitet me intimè de meis peccatis propter DEVM, quem summè diligo, emendationemq; propono in futurum.

PRO FERIA TERTIA.

Exercitium circa Vulnus Pedis Dextri.

Adoratio. Professio Fidei. Gratiarum actio. Dolor de peccatis. oratio ad Angelum. Beatiss: Virginem. Adoratio CHristi ejusq; Vulneris dextri pedis &c. vt supra. Tantùm pro Vulnere Sinistri pedis ponendum Vulnus dextri Pedis.

Anima per B. Virginem, ut supra, inducta in vulnus dextri pedis, post salutationem, Oblationem, Protestationem, Petitionem vt supra: eo die considerabit 1. Varietatem dolorum perlatorum

torum ex illo Vulnere propter varias partes afflictas variè ob connexionem mutuam. 2. Considerabit durationem charitatis, quam nobis monstravit, non solùm tempore ipsius Passionis, sed per totam æternitatem illos cruciatus prævidendo, acceptando desiderando. 3. Considerandus erit finis horum cruciatuum, nempe vt nobis mereretur fortitudinem contra omnes impetus hostium nostrorum; eam itaq; cum magno affectu petemus, & cum ejus gratia toto nos die in ea exercebimus.

PRO FERIA QVARTA.

Exercitium circa Vulnus Sinistræ Manus.

Feria quarta, absolutis actibus iisdem, quos primo die annotavi,

comi-

comitante B. Virgine introductâ animâ in Vulnus Sinistræ manus dices. *Saluete Venerabiles Domini Nostri IESV CHristi manus in Cruce extensæ & confixæ.* reliqua vt supra.

Considerabis 1. gravissimum dolorem, quem pertulit Dominus in isto vulnere, tantò majorem quòd ex eo penderet totum Corpus Sacratissimum. 2. *Considerabis*: quòd quamvis pro omnibus tantos passus sit dolores, multi tamen sint futuri in pœnis æternis. Quare petes ferventissimè, vt te dignetur liberare ab æterna in inferno damnatione, sæpiúsq; isto die illas orationes aut similes repetes.

Ne perdas cum impijs Deus animam

animam meam , & cum viris sanguinum vitam meam. vel.

O bone IESV ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens Bonitas Tua.

PRO FERIA QVINTA.

Exercitium circa Vulnus dextræ Manus.

Feria quinta præmiſſis ijſdem actibus vt ſupra, anima introducta à B. Virgine in vulnus dextræ manus ſalutabit illud ijſdem verbis, quibus Feria quarta, & reliquos actus proſequetur.

Tum contemplaberis 1. gravem dolorem in parte nervis plena & tenerrima & diuturnitatem ejus atq; incrementum, qui, quantò diutiùs protrahebatur vita, tantò major dolor ſæviebat, creſcẽ-

te pon-

te pondere in Corpore moribundo & lasso. *secundo.* Contemplare amorem, in quo illud totum tempus cruciatuum exegit, te continuo in mente habendo, & tui recordatione suos omnes dolores leniendo. Finis porro propositus illi hîc fuit, vt tibi Regnum pararet. Vnde frequenter cum bono latrone dices. Memento mei dum veneris in regnū Tuum. *vel cum Propheta suspirabis.* Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in Domo Dñi omnibus diebus vitæ meæ.

PRO FERIA SEXTA.

Exercitium circa Vulnus Lateris & cordis.

Feriâ Sextâ post præmissos solitos actus ductu B. Virginis in Vulnus lateris dices.

salue

Salue latus gloriosum D. N. IESV CHristi pro nobis lanceâ militis perforatum. Postea.

Hæc requies mea &c. *vt supra.*

In hoc Vulnere inclusus toto die. *Considera* 1. injuriam illarum Tuo Domino, cujus etiam mortui Corpus exanime ita tractatum fuit. Quare vocatur crudelis lancea ab Ecclesia. Ostendit Dominus desiderium patiendi pro Te: quia cum non posset habere illud Vulnus vivus, voluit habere saltem mortuus. 2. *Considerabis* intimum Domini amorem erga Te, quia voluit aperiri latè portam ad suum Cor, Fontem & sedem amoris. 3. *Considera* finem huj9 facti, quem habuit Dominus, qui fuit, vt tanto suo amori tuus re-

 sponde-

ſponderet viciſim amor.

Quare iſtum diem traduces in exercitio actuum amoris.

Inter alios poſſunt ſequentes amoris actus elici.

DVlciſſime IESV, vere DEus & Homo diligo Te ex toto corde meo, quia infinitè Bonus es, & omni amore dignus. *vel* O amor! ô IESV! quis te non amaret? amo te, cuperemque te tanto amore complecti, quanto amari dignus es. *vel* O mi IESV, quando te amabo, ſicut amari à me debes! ô amabiliſſime DEus, ſi poſſem Te tantum amare, quantum omnes Sancti ſimul ſumpti & Angeli te amant. Tuum amorem tibi Domine offero invicem, & quaſi ſupplementum eorum, qui te non a-

man

mant aut non tantum quantum possunt, amant, aut ab amore tuo cessant, qui dignus es semper & omnibus viribus amari. *vel*

Si Domine proprio meo sangvine possem impedire, vt nullus Te vnquam offendat, libentissimè id propter amorem Tui facerem.

PRO SABBATHO.

Exercitium circa Vulnera Capitis.

Sabbatho præmissis ijs rebus, de quibus supra; ductu B. Virginis intrabis pulcherrimum Hortum Capitis Domini IESV, & salutabis illud dicendo.

SAlve tremendum cunctis potestatibus Domini IESV CHristi Salvatoris Nostri Caput,

pro nobis arundine percussum, & spinis coronatum. *Postea*. Hæc requies mea &c. *Reliqua vt supra*.

His factis. 1. exercebit anima colligendo rosas ex istis spinis, quæ cingunt venerandum Caput, id est, contemplando graves, acutos, & plurimos Cruciatus à multitudine spinarum, acutissimè penetrantium cum sensu (in parte tam delicata) inexplicabili. 2. Considerabimus nostram æternam prædestinationem, electionem, & sanctificationem reconditam in Domini Nostri Capite. 3. Considerabimus hunc inter alios fines Dominum habuisse, vt mens nostra omnes cogitationes suas habeat elevatas & fixas in DEo, & semper cogitet de DEo, & rebus divinis.

PRO

Exercitium ad omnia totius Corporis ſacri Vulnera.

DIe Dominica poſt factos ſupra dictos actus, ductu B. Virginis, intrabis in vaſtitatem omnium Vulnerum & plagarum totius Corporis ſacratiſſimi, & ſalutabis, dicendo.

Salve totum Corpus CHriſti IESV pro nobis in Cruce ſuſpenſum, vulneratum, mortuum, & ſepultum.

Poſtea dices. Hæc requies mea &c. *Reliquos actus facies vt ſupra.*

Conſiderabimus 1. tantos dolores internos & externos ſuſceptos eſſe in ſingulis, etiam exiguis omnino partibus, ut verũ ſit illud. *A planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas.*

Secundò considerabimus varietatem & multitudinem signorum amoris CHristi erga nos in singulis sui Corporis partibus manifestatorum. Quot enim in sacro Corpore numeras Vulnera, tot amoris erga te in Salvatore Tuo sunt testimonia.

Tertiò considerabimus Vltimum finem fuisse glorificationem. 1. Humanitatis suæ Sacratissimæ. Deinde, totius Corporis mystici, id est Ecclesiæ Sanctæ Sponsæ suæ amantissimæ. Vnde rogabimus Dominum Nostrum IESVM CHristum, ut in die judicij ad dextram suam collocatos & glorificatos secum ad æternum Cœlorum Regnum perducat.

A M E N.

SALV-

SALVTATIO SS. VVLNERVM CHRISTI.

Ad Manum dextram.

DVLCISSIME IESV, adoro Vulnus Manus tuæ dextræ: da mihi quæso victoriam de me ipso, & gratiam extirpandi ex corde meo omnia vitia & inclinationes malas. Recommendo tibi in hoc Vulnus, universalem Sanctæ Ecclesiæ statum, conversionem infidelium & reductionẽ ad eandem omnium Hæreticorũ.

Pater noster. & Ave Maria.

Ad Manum sinistram.

PATIENTISSIME IESV, adoro vulnus manus tuæ sinistræ, rogo te, da mihi patientiam in omnibus adversitatibus, & largire mihi fortitudinem in extremo vitæ momento, & gratiam evi-

tandi mortem æternam. In idẽ vulnus tuum Sacrosanctũ, commendo tibi tuos vtriusq; sexus fideles. Pater. & Ave.

Ad Pedem dextrum.

AMANTISSIME IESV, adoro Sacratissimum vulnus pedis tui dextri: da mihi quæso gratiam progrediendi semper in melius in via tuorum sacratissimorum mandatorum, in operibus bonis & augmento omnium virtutum, secundùm tuam sanctissimam & divinam voluntatẽ. In idem Sacratissimum Vulnus commendo tibi omnes Ecclesiasticos & utriusq; sexus Religiosos

Pater noster. & Ave Maria.

Ad Pedem sinistrum.

BENIGNISSIME IESV, adoro sacratissimum vulnus pedis

pedis tui sinistri. Obsecro te libera me ab omnibus periculis tã animæ, quàm corporis; & da mihi gratiam effugiendi omnia peccata, & peccandi occasiones. In idem vulnus sacratissimum recommendo tibi omnes meos Benefactores, propinquos, amicos, inimicos, & omnes omnino pro quibus orare teneor.

Pater noster. & Ave Maria.

Ad Latus CHristi.

AMABILISSIME & misericordissime IESV, indignissimus ego in tuo conspectu peccator adoro vulnus sacratissimi lateris tui. Oro humillimè, ut ardentissimo tuo amore me incendas, ut omni inordinato affectu ad quascunq; Creaturas derelicto Tu solus semper cor

meum inhabites. Commendo huic ſacratiſsimo Vulneri tuo, omnes animas quæ in purgatorio detinentur. Pater noſter. & Ave.

ORATIO
S. *Franciſci Xauerij, per quinq; vulnera.*

DOmine IESV CHriſte, Deus cordis mei, per quinq; illa Vulnera, quæ tibi in Cruce, noſtri amor inflixit, tuis famulis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti. 2.

DOmine I E S V CHriſte, qui pro ſalute humani generis, quinque Vulnera pati voluiſti: tribue quæſumus, ut ob reverentiam illorum Vulnerum, abſolvi merear ab omnibus peccatis meis, & præſentem vitam bono fine termi-

terminare, & à tuæ dulcissimæ visionis contemplatione nunquam separari. Qui vivis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Oratio S. Augustini.

Sumpta ex magna tabula Lateranensis Ecclesiæ, quam quoties, quis contritus devotè dixerit, octoginta millia annorum indulgentias consequetur, & qui quadraginta diebus eam dixerit, plenariam peccatorum remißionem obtinebit, quam Bonifacius VIII. conceßit, & Benedictus XI. confirmavit.

DEVS qui pro Redemptione mundi voluisti nasci, circũcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda proditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atq; conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis in-

dis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis & opprobrijs vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, Cruci clavis affigi, in Cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lanceâ vulnerari. Tu Domine per has Sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam Crucem, & mortem tuam, libera me à pœnis inferni, & perducere digneris, quò perduxisti latronem tecũ Crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Actus primarum virtutum.

ACTVS FIDEI.

Humilli-

HVmillimè adoro, & firmiſſimè credo ô ſanctiſſima Trinitas, Te DEVM vnum in Eſſentia, Trinum in perſonis. Credo Patrem ingenitum, verum principium omnium, Filium Dei vnigenitum, Redemptorem & Salvatorem meum, Spiritum S. à Patre & Filio procedentem, gratiarum omnium largitorem. Credo vniverſa à te DEVS meus revelata, mihiq; ab Eccleſia ſancta ad credendum propoſita, quia tu infinitæ authoritatis DEVS ita revelaſti. Et proteſtor me millies ſatiùs mori velle, quàm vel minimum à S. Catholica & Apoſtolica Eccleſia, recedere: DEvs meus adauge fidem meam.

ACTVS SPEI.

TOtam meam Spem colloco

in Te

in Te mi IESV, ac in virtute Sanctissimæ Passionis tuæ, expecto quæcunque mihi promissa sunt: quia tu summè bonus nobis es: Spero te affuturum in pugna spirituali Adjutorem, in necessitatibus & angustijs Tutorem, in hora mortis meæ vitam & coronã meam. Oro te, vt non confundar, quia speravi in te mi IESV.

ACTVS CHARITATIS.

O Mi amantissime DEVS, ad te summum bonum toto cordis affectu feror. In immensa bonitate tua exulto, & gaudeo, quòd te omnes Angeli honorent & laudent. O mi Creator, quàm ego cupio, vt omnes homines te agnoscant, colant, tibi vni serviant. Ah quàm me pœnitet

nitet

nitet omnium peccatorum meorum. Et ideo ſtatuo, legem tuam poſthac in omnibus obſervare! omne ſolatium meum, in ſanctiſſimo tuo beneplacito quęram. Averſabor quidquid tibi diſplicet. Mi Deus omnia mea tua ſunt, tibi omnia conſecro. Propter te adverſa omnia libenter tolerabo. Permiſſione & diſpoſitione tua ſemper contentiſſimus ero. O Bonitas tuum in me amorem adauge! O charitas, nunquam te amare deſinam! O mi DEVS, Cor cordis, & vita vitæ meæ, per temetipſum oro te, vt diſcam verè amare te, benedicere & laudare te, & in amore tuo ſuaviſſimo, vſq; ad finem vitæ meæ perſeverare. Amen.

CREDO IN TE ô summa veritas DEVS meus, Trinus & vnus, & quidquid Tu per Romanam S.Catholicam Ecclesiam credendum proposuisti. Quia tu revelasti DEVS summæ authoritatis & veritatis.

SPERO IN TE ô æterna felicitas DEVS meus Trinus & vnus, propter immensam bonitatem & misericordiam tuam, IEsu CHristi sangvinem & merita, intercessionem B. Virginis & omnium Sanctorum.

AMO TE ô incomprehensa bonitas DEVS meus Trinus & vnus, super omnia, propter Temetipsum: & ideo ex omni possibili conatu totius animæ meæ doleo

pro omnibus peccatis meis: quia te Deum meum Trinum & vnū, quē super omnia propter temetipsum amo, offendunt. Doleo intimè, Volo me ex omnibus emendare, confiteri & satis facere, & me in omnem satisfactionem offero ac submitto, ô Deus meus, Amor meus, & gaudium super omnia.

Credo in Te ô Suprema veritas. Spero in Te ô æterna felicitas. Revereor Te tremenda Majestas. Amo Te incomprehensa bonitas. Glorifico Te ô summa Deitas. Fac ne mea me perdat iniquitas; Quem Tua fecit Omnipotens bonitas. Doleo medullitus, quòd vsquam & vnquam te offenderim: vtinam nusquam & nunquam.

Actus

Actus contritionis ex varijs Authoribus collecti.

I.

DOmine IESV CHriste verus DEVS & Homo, Creator ac Redemptor meus: pœnitet me ex toto corde, quòd offenderim Te Dominum meum & DEVM meum: quem amo super omnia: & propono firmiter ampliùs non peccare omnesq; peccandi occasiones devitare, confiteri ac implere pœnitentiam, quæ mihi fuerit injūncta. Et in satisfactionem peccatorum meorum offero tibi, passionem tuam, merita B. MARIÆ semper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, atq; omnia opera mea, & totam vitā meam. Et confido in bonitate & misericordia tua infinita, quòd per

per merita pretiosi sangvinis, ac mortis tuæ, mihi remissurus sis omnia delicta mea & gratiam vberem largiturus, quâ vitam sanctè instituere, tibiq́; perfectè vsq; ad finem servire valeam. Qui cum Patre sanctoq́; Spiritu, vivis, & regnas DEVS, in sæcula benedictus. Amen.

II.

Ex P. Paulo de Barry.

DVlcissime IESV, vere DEVS & Homo, diligo te ex toto corde meo: & quia infinitè bonus es, detestor & execror omnia peccata mea supra quidquid detestabile & execrabile est, & propono me nunquam ampliùs te offensurum succurrẽte gratiâ tuâ, & meritis mortis & Passionis tuæ, in quarum vnione offero tibi omnes actiones meas.

III.
Ex P. Iuliano Haynouio.

O DEVS meus, quàm doleo me vitam hucusq; tam malè traduxisse: at gratiæ tibi sint infinitæ, quòd eandē in hanc vsque horam produxeris quâ cognosco, mihi meliùs vivendum esse, & verò per gratiam tuam præstare ex animo cupio. Vtinā ergo ab hoc momento in æternum te amem toto corde, & me oderim: vtinam nihil amem extra te: vtinam sis mihi omnia in omnibus: & laudem nomen tuum magnum in sæculum & in sæculum sæculi. Amen.

IV.
Ex Patre Vincentio Caraffa.

DOmine peccavi, miserere mei, pœnitet me peccasse. Cupio

Cupio emendare quod feci. DEus Propitius esto mihi peccatori.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.

Tibi soli peccavi. Tibi Pater æterne, qui de nihilo me creâsti. Tibi Fili DEi, qui tuo me sangvine redemisti. Tibi Spiritus Sancte, qui me in Baptismo sanctificâsti.

Tibi Soli peccavi. Nonne Tu solus Sanctus, cujus nomen profanavi. Tu solus Dominus, cujus mandata transgressus sum. Tu solus altissimus, contra quem, ego terræ vermiculus insurgere ausus sum. V.

O DEVS meus, doleo ex toto corde, de omnibus pec-

catis

catis meis, quia tuæ Divinæ displicent Majestati.

O IESV doleo ex amore tui quòd offenderim te. O Deus, o summum & omne bonum meum, cur vnquam te offendi: ah verè pœnitet, ex intimis medullis, ideoq; vel maximè quia tibi soli peccavi. Et quid iam ago! Te æstimo, te vnum amo super omnia, propter te ipsum, qui hoc amore meo, omniq; alio sine fine dignus es. O IEsu ecce coram Te & Curia tua cœlesti sincerè statuo, nunquam vltra te offendere, occasiones illas devitare. Tibi Deo meo potiùs quàm dæmoni servire. Accipe Domine IEsu, & ne despicias, cor contritũ & humiliatum: Tu qui scrutaris cor & renes, tu nosti suspi-

rium

rium & deſiderium meum.

VI.

Ex P. Ioanne Suffren.

EGo Domine ſum ille miſer, qui peccavi, tam diu hæſi in peccatis. Ego ſceleribus, tu mecum certaſti muneribus. O me cæcum, ô me inſanum! qui ſummum bonum viliſſimæ poſthabui voluptati. Ah quid DEVS bonus in me commiſit, vt eu tot flagitijs irritarem? an ideo illum offendere debui, quia me tot beneficijs cumulavit. O miſer homuncio, fare quæſo, quid tibi iniquitas attulit, aut mendax voluptas, cum tibi ſummum bonum DEVM abſtulit. Ecquid agis anima mea! itane parum doles, quòd tot flagitijs DEVM offenderis? ignoras fortè, quid

ſit tan-

ſit tantam læſiſſe Majeſtatem ! receſſiſſe à ſummo bono, & Tartaro te mancipaſſe. DEVS meus, cùm tu ſis infinitè dignus omni amore & ſervitio: ſiquidem tu es doleo, quantùm poſſum maximè de omnibus meis peccatis, illaq; deteſtor ſupra omnia alia mala. Peto humillimè veniam, facioq; firmiſſimum propoſitum nunquam offendendi tuam bonitatem in æternum. In tua vulnera me proijcio ô IESV, ibi me abſconde & defende hodie & ſemper, donec mihi largiaris gratiam videndi tui, & amandi te in æternum. Amen.

VII.

Ex P. Ioanne Baptiſta Manni S.I.

O Æterna Bonitas! miſericordias tuas in æternum cantabo

cantabo, quòd me indignissimā creaturam tuam, propter misericordiæ tuæ infinitæ excessum æternùm non damnâris. O viscera misericordiæ infinitæ, quòd me canem mortuum, & pulicem vnum, ita dilexeris & amaris.

Quare amo te o DEvs! & quia ita tibi volupe est, æternum te amabo, tu solus mihi sufficis. Amo te inquam in conspectu cœli & terræ, neq; aliud per hunc amorem quæro nisi te: propter te doleo etiam, ah doleo! quòd te dereliquerim aliquando, cùm ille sis qui es, doleo me aliquando separatum à te, ô vita æterna.

O si nunquam illum, cui omnis amor debetur & reverētia, offendissem! pereant modo cætera omnia, solus DEVS sit reli-

quus & sufficit mihi cùm ille infinitum bonum; & cætera omnia nihil sint. Quapropter ope divinæ gratiæ tuæ adjuta mea fragilitas eò semper enitetur, vt nullum deinceps præceptum tuum transgrediatur

VIII.

Ex P. Christiano Mayer.

EN quid retribui tibi Domine Creator ac Redemptor meus pro omnibus quæ retribuisti mihi, nisi peccata, negligentias & ingratitudines. Vtinam nunquam te infinitè amabilem offendissem, nec offenderem post hac in æternum.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Erravi sicut ovis quæ perijt, aspice me oculis misericordiæ tuæ, & miserere mei.

Doleo

Doleo de his N.N.& omnibus alijs peccatis meis purè propter te, quia te, quem his offendi, super omnia diligo, cupio, proponoq́; seriò emendare, maximè hæc N. N. perfice & confirma gratiâ tuâ desiderium meum. In satisfactionem, me & omnem vitam meam tuæ volũtati & gloriæ offero. Veniam cum finali gratia precor, & spero per te ô bone IESV, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu Sancto, per Incarnationem mortemq́; tuam me redimere dignatus es! Ad te igitur vnicam spem meam confugio, in tuorũ meritorum abyssum me demergo. Tu æterna charitate tua, supplere digneris imperfectum meum.

IX.

DOmine nihil mihi totâ vitâ mea doleo contigiſſe, niſi peccatum, & cum omiſi facere, quod tibi fuiſſet gratiſſimum. O pœnitet me, pœnitebitq́; ſemper, ô quàm vellem me non feciſſe. O doleo iterumq́; doleo, & ſi poſſem infinito dolore libens dolerem, vti & infinito atq; omni poſſibili amore te tam amabilem amarem, ſi poſſem. Doleo inquam de peccatis meis omnibus & ſingulis, eaq́; execror abominor, deteſtor ſupra omnia alia mala. O millies, iterumq́; millies doleo, neq́; aliam ob cauſam doleo, quàm quia te offendi ſummum bonum, ſuper omnia alia bona mihi nunc charum. Propter te purè doleo, & ob tui amo-

rem, peccatum omnibus, quibus possum animi viribus detestor, & quia totum id nihil est, odium tibi tuum detestationemq; peccati plusquam infinitam offero in supplementum defectus & exigui doloris mei.

Offero tibi ô optime DEVS pro meis & alienis peccatis, omnes illos intensissimos compunctionis, contritionis & detestationis affectus, quos vnquam verè pœnitentes & sua vel aliena peccata deflentes elicuerunt, & deinceps elicient: quos omnes si ego solus possem, & si tibi placeret, eos mihi dare, & alios omnes possibiles, elicere desidero.

O mi amor! proijce me in quodvis aliud malum potiùs, quàm vt peccem tibi. Purissi-

me & sanctissime DEVS malo millies mori, quàm te vel levissimè offendere. Vnde si contingat me aliquid per imprudentiã committere, aut omittere, quod divino tuo beneplacito repugnet, id protestor præter & contra meam voluntatem eventurũ.

Domine ex tui amore, omni studio volo vitare, quodcunque etiam minimum peccatum, non ideo tantùm, quia tibi displicet, si id committam, sed etiam quia tibi placet, si cum possim transgredi non transgrediar.

X.

DOmine IESV Christe, Creator & Redemptor meus, vnicum & omne bonum meum, credo in te Dominum meum & DEum meum in te spero, teq; super

per omnia propter temetipsum diligo; propter amorem tui, doleo ex toto corde meo, pro omnibus peccatis meis, quibus divinam tuam offendi Majestatem. Vtinam bone IEsu, nunquam te offendissem, vtinam mortuus fuissem infinities, vel in ipsam gehennam descendissem, aut annihilatus fuissem, prius-quam te offendi, id ipsumq; deinceps de me fiat, prius-quam te offendam. Quare propono firmiter me emendare, omnes peccandi occasiones devitare, confiteri & implere pœnitentiam omnem mihi imponendam. Condono etiam amore tui, ex corde omnes offensas omnibus, qui me læserunt, paratus ipse cuivis à me læso satisfacere. Et in satisfactio-

nem pro peccatis meis offero tibi omnia merita vitæ & passionis tuæ, ac SS. tuorum, atq; in in ijs totam vitam meam confidens in misericordia tua infinita, quòd ea mihi remissurus sis, & gratiam largiturus ad me emendandum, & perseverandum, in te, quòd supplex peto per sangvinem tuū pretiosum. Amen.

Actus Intentionis.

DVlcissime IESV, in vnione omnium laborum tuorum, & immensæ charitatis tuæ, quæ pro nobis labores 33. annis tolerâsti in terris, & opus nostræ Redemptionis consummâsti, offero tibi omnes labores, & opera totius vitæ meæ, quæ cedant ad majorem tuam gloriam, meam & proximorum salutem. Amen.

Idem

Ex tui amore ô DEus meus! & propter gloriam tuam, & ut tibi placeam, hoc facio.

Gratiarum Actio pro Beneficijs Diuinis.

BEnedicta ſit Sancta atq; indiuidua Trinitas, quia feciſti mecum miſericordiam tuam. Benedicamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: laudemus & ſuperexaltemus in ſæcula. Benedictus es Domine in firmamẽto cœli, & laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſæcula.

Benedicta omnia attributa tua o Auguſtiſſima Trinitas, DEVS meus, quæ nos conſervant, gubernant, protegunt.

BEnedictus ſis miſericordiſſime Domine, & Pater amantiſſime DEVS meus, pro beneficio Creationis, Conſervationis, Redemptionis, & omnium myſteriorum ſacroſanctæ Fidei, ac præcipuè SS. Sacramenti. Pro beneficio vocationis ad fidem, & ſanctam hanc Religionem (*ſi Religioſus es*) pro omnibus donis gratiæ & naturæ, pro periculis & malis tam culpæ quàm pœnæ, tam corporis, quàm animi à me remotis. Pro illuminato toties intellectu, & excitata voluntate ad bonum. Pro dono orationis & devotionis. Pro omnibus deniq; beneficijs, quæ ego peccator non agnoſco, nec ſcio æſtimare. Sis Domine Benedictus pro omnibus beneficijs Humanitati

CHriſti

CHristi IESV, Sanctissimæ Virgini, Ecclesiæ, Religioni nostræ, Regno, Civitati, domui huic, ac toti mundo collatis. Pro ijs deniq; quæ etiam damnatis & Dæmonibus contulisti, ac pro ijs omnibus, pro quibus tibi ingratitudo humana gratias reddere nescit, & non curat. Sis in æternū benedictus & ab omni Creatura laudatus, & glorificatus in sæcula.

Te Patrem ingenitum, Te Filium vnigenitum, Te Spiritum S. Paraclitum, sanctam & individuam Trinitatem toto corde, & ore confitemur, laudamus atq; benedicimus.

Gloria Patri, qui creavit nos. Gloria Filio, qui redemit nos. Gloria Spiritui S. qui sanctificavit nos. Gloria summæ & individuæ Trinitati DEO nostro in sæcula sæculorum. Amen.

MODVS

MODVS

Qualibet horâ CHriſti Paſſionẽ recolendi, incipiendo ab hora v. gr. ſexta veſpertina.

Horâ *ſonante dic:* Ave Maria &c. Bendictus fructus ventris tui IESVS CHriſtus hâc horâ

Horâ 6. Pedes diſcipulorũ lavans.

Horâ
7. Seipſum nobis in cibum tradens.
8. In horto Orans, & ſanguinem ſudans.
9. A Iudæis Captus.
10. Ad Annam ductus.
11. Caiphæ præſentatus.
12. Alapâ coram Pontifice percuſſus.

A media nocte.

Horâ 1. Velatus, ludibrio habitus, percuſſus, & peſſimè à Iudæorũ Miniſtris tractatus.

2. A

Horâ 2. A Petro Negatus.
Horâ 3. A falſis teſtibus in judicio accuſatus.
4. Poſt multa tota nocte tolerata, reus mortis à concilio proclamatus.
Horâ 5. V[illegible]ilatum ductus,
[illegible]
9. [illegible] Coronatus.
10. [illegible] populum à Pilato, productus.
Horâ 11. Crucem bajulans.
Horâ 12. Crucifixus.

Meridie.

Horâ 1. Te Matrem ſuam & noſtram allocutus.

Horâ 2.

2. In Cruce sitiens felle & aceto potatus.

3. In Cruce mortuus.

4. De Cruce depositus.

5. Sepultus.

Subiunge.

Sancta Maria [illegible]tè Concepta & [illegible] ...ancta. O[illegible]

Tum ex sequentibus [illegible] pro libito.

BEnedicta est hora ista, quâ Dominus meus IESVS Christus, propter me natus est, passus, & mortuus.

Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu: laudemus & super exaltemus eum in sæcula.

Bene-

Benedictum sit dulce nomen Domini N.I.C. & gloriosissimæ V. MARIÆ [illegible]atris ejus, nunc & in æternum [illegible]ltra.

Amo te [illegible] meus, desidero magis amare [illegible] fac[illegible]t in [illegible]s singul[illegible]

[illegible]

Omnia [illegible]cri-bo[illegible]ero & resigno[illegible]

Da mi[illegible]mine sedium tuarum assis[illegible] sapientiam, vt sciam quid [illegible]ptum sit coram te omni te[illegible]re.

MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste prote-

protege, & horâ mortis suscipe.

Tibi nos ô MARIA commendamus, tu procura [illegible]e pereamus.

Benedicat & [illegible]odiat nos omnipotens & [illegible]ricors Domi[illegible] Pate[illegible] Fi[illegible] & spiritus san[illegible]

[illegible]

vitam [illegible] -batur qui [illegible] ante se collocat [illegible]

vel cum P. Christiano Mayer dic:

DIgnare Domine IEsu CHriste cum Patre & S. Spiritu, dare mihi tuam sanctam benedictionem, vberemq; gratiam, tibi in vigilia & somno, in vita & morte

morte, puro corde & casto corpore perfectè, semper placendi, teq; pane Angelorum dignè fruendi in via, devotè in meta, & ...atè in Patria. Amen.

Brevis reflexio Horaria.

Vita fugit. Mors instat. Æternitas imminet. O viator?
Quid moraris! & cur tẽpus prodigis?
Quem invitat cœli amænitas,
Retrahit mundi vanitas,
Spectat Sanctissima Trinitas,
Expectat Æternitas.

Dic cum Apostolo: Hora est jam nos de somno surgere. Surge ergo qui dormis. Dic tibi ipsi, quod ...are erat S. Teresiæ: Iam sum vnâ horâ vicinior morti, sepulchro & æternitati.

Non est in hora momentum, quod non sit infiniti momenti.

Quia

Quia quolibet momento potes operari æternum gloriæ pondus. & hoc non ponderas.

Ex Patre Guil. Staniburſto S. I. de 4. Nouiſſ.

Diccum Iob, c. 17. Dies mei tranſierunt: O dies quam multi numero? quàm æſtimabiles pretio? quàm celeres tempore? in ictu oculi tranſierunt.

Tranſierunt dies ſalutis, dies meriti, dies Iubilæi, dies placandi DEi, promerendi Cœli, agendæ pœnitentiæ, augendæ gratiæ, obtinendæ gloriæ.

Tranſierunt, ſed quomodo? tranſierũt vani ſine merito: ſteriles ſine fructu: inanes ſine lucro.

Nunc igitur.

Dum tempus habemus, operemur bonum, Quia tempus non erit

erit amplius. Venit enim nox, in qua, nemo poterit operari.

Vtq; te excites ad fervorem. Revoca tibi breuiter æternitatem duplicem, malam & bonam, atq; illam timendo, hanc optando. dic.

Quid scio, nonne hæc est vltima vitæ meæ hora: O hora quomodo transiîsti? O æternitas quæ? & quando venies mihi?

OFFICIVM
Pro felici morte consequenda.
AD MATVTINVM.

Vitam completam & finem perfectum concedat nobis Dominus omnipotens, Amen.

Domine labia mea aperies: Et os meum annunciabit laudem tuam.

Deus

Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuv: &c.
Gloria Patri, & Filio &c.

Hymnus.

MOriendum: hoc certum, lex est immutabilis.
Sed quando, vbi, quomodo, ars investigabilis.
Vigilate, CHRISTVS clamat omni semper tempore;
Semper estote parati, animo & corpore:
Summa dies instar furis, quando minus sperabis,
Ingruet inopinatò, væ erit imparatis.

Antiph. O Dulcissime Domine IESV CHriste, adsis mihi famulo tuo cum tota æternitate luctaturo, & ne me deseras, in illa hora, à quà pendet animæ meæ æterna salus. ℣.

℣. Illumina Dn̄e oculos meos.
℟. Ne vnquam obdormiam in morte. *oratio.*

DNE IESV CHriste Fili Dei vivi, per illam amaritudinē mortis, quam sustinuisti pro me in Cruce, maximè quando Anima tua sanctissima egressa est de Corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo, & da ei beatum ex hoc mundo exitum, & perduc eam in vitam æternam: Qui vivis & regnas Deus &c.

AD PRIMAM.

Vitam completam &c. Deus in adjutorium &c. Gloria &c.

Hymnus.

MOriendum, hoc cōmune,
moritur quod oritur.
Sed vt bene moriatur,
hoc inprimis quæritur.

Nemo poteſt bene mori,
qui bene non vixerit.
Nemo conſequi ſalutem,
qui illam neglexerit.
Vita bona comparatur bonis
actionibus
Et progreſſu in virtute,
& orationibus.
Antiphona & reliqua ut ſupra.

AD TERTIAM.

Vitam completam &c. Deus in adjutoriū &c. Gloria Patri &c.

Hymnus.

MOriendum, fors hodie,
forſan iſto momento:
Et quam nudus comparebis,
ad Tribunal, memento.
Cur bona non accumulas?
cur tam multa negligis!
Cur futura non provides?
Cur ſic tempus prodigis?

Hoc

Hoc momento innumera
debita exoluenda.
Hoc momento æternitas beata
promerenda.

Antiphona & Reliqua vt ſupra.

AD SEXTAM

Vitam comp:&c. Deus in ad: &c
Gloria Patri & Filio &c.

Hymnus.

MOriendum, & ſiſtendum:
vbi Deus juſſerit;
Brevis, longa, mediocris,
quævis meta fuerit;
Parum refert, quando tandem,
vel ubi deſieris,
Multum refert, imò totum,
ſi bene finieris.
Nunc in bonis propoſitis
diſce conſtans durare
In ſanctis exercitijs ſtude perſe-
verare.

Antiphona & reliqua vt ſupra.

AD NO-

AD NONAM.

Vitam completam &c. Deus in adjutoriũ &c. Gloria P: &c.

Hymnus.

MOriendum, & ferendum quidquid morti prævium;
Dolor, ſitis, inſomnia, agonia, tædium.
Magna tunc opus virtute, magna patientiâ,
Solida devotione, verâ pænitentiâ.
Fruſtra ſperas, ni nunc talem ſtudeas te præſtare;
Quod te velles tunc feciſſe, nunc debes frequentare.

Antiphona & reliqua vt ſupra. &c.

AD VESPERAS.

Vitam completam &c. Deus in adjutoriũ &c. Gloria P. &c.

Hymnus.

Morien-

MOriendum, & eundum per vias incognitas,
Inter comites infestos, regiones abditas.
Quis non sibi tunc optaret ductores sociales,
Vel Patronos, præpotentes, vel faventes sodales?
Nunc Angelos, nunc Cœlites, sollicita precibus,
Obsequijs demerere, ac pijs operibus. *Antiph. & reliq: vt supra.*

AD COMPLETORIVM.

Vitam Completam &c.
Converte nos Deus &c.
Deus in adju: &c. Gloria P. &c.

Hymnus.

MOriendum: quid sequitur? tremendum judicium,
Decretum immutabile, æternum supplicium:

Si justus vix salvus erit, quid f
et peccatori?
Si servo pigro tortura, quid no
malefactori?
Ergò nunc pœnitentiæ digno
fructus facito,
Et commissa expiato, more
corrigito.

Antiphona & reliqua, ut supra.

COMMENDATIO.

TIbi Redemptor optime, hæ
vota humilia
Commendo supplex, ac precor
tu pondus concilia
Tua sacra passione, culpas mea
deleas:
Tuis immensis meritis, quidquid
deest, suppleas.
Tuæ cruci pretiosæ, meam cru-
cem unias.
Tua morte vivifica, meum finem
munias. Amen.

Ad CHRISTVM *Dominum.*

DOmine DEVS ſalutis meæ quid fiet de me? lugens veni in hunc carcerem Corporis mei, & ſine timore hinc non exibo. Ah noli, noli in ira tua clamare contra me, ſuccidite arborem & mittite in ignem. Sed ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, aperi mihi in vitæ termino portam regni tui, & introduc me pauperem peregrinum, de exilio ad te revertentem.

Habeat bene ſpiritus meus, quem nunc tibi commendo; caro autem requieſcat in ſpe, in noviſſimo die rurſus excitanda.

Recipe me ab hominibus, & San-
ctorum tuorum me conjunge
societati. Non mihi obsistat in
exitu de Ægypto serpens iniquus
non latret contra me in porta ini-
micus; tetra ejus imago non me
perterreat; mortis horror non
me conturbet. Sed Sancti Ange-
li tui fideliter assistant, fortiter
adjuvent; constanter protegant;
beatè suscipiant: & ad cœlestem
paradisum cum exultatione
perducant.

Ad B. V. MARIAM.

O Dulcissima Mater IEsu, Vir-
go Maria, Patrona mea vi-
sceribus misericordiæ plena; suc-
curre mihi misero peccatori, an-
tequam mors subitanea & im-
provisa superveniat, ne subitò &
imparatus de hoc mundo transe-
am.

am. Ora pro me MARIA, Virgo benedicta, ob unigeniti Filij tui Domini nostri IEsu Christi passionem, ac mortem acerbissimam, ut peccati detestatione, diaboli & ejus operum abrenunciatione, vera contritione, pura & humili confessione, pœnitentia & satisfactione, digna Corporis sui sumptione, & proximi dilectione, Filio tuo reconciliatus de hoc mundo transeam.

Et fac mecum misericordiam tuam, ô B.V. MARIA Mater Dei in illa tremenda hora, quando spiritus vitales deficient, & mortua lingva se nequibit movere, ad invocandum te, neq; oculi mei lucem capere poterunt, auresq; meæ nulli voci patescent, memor ô Maria esto tunc precū,

quas nunc fundo ad aures tuæ pietatis, subveni mihi in illa ultima hora necessitatis meæ, ut liberer à ministris Diaboli, & collocer cum CHristi fidelibus Filij tui servis & Amicis. Amen.

AD SANCTOS.

QVis tunc erit mihi fidus amicus? quis tunc mihi fideliter aderit in extrema mea necessitate, in districta illa hora? quis tunc mihi erit auxilio? quis loquetur aut respondebit pro me? Virgo gloriosa, spes certa, refugium singulare peccatorum, & tu ô Angele DEi, Custos bone, Vosq; Sancti & Sanctæ N. N. quos vivens Patronos habui; ac cæteri alij Sancti Cœlestes, morienti tunc adestote, mihi consulite; tunc me Vobis associate,

præsen-

præſentate me ad dexteram ante faciem Summi judicis, ſub veſtra protectione propellite canes illos infernales, me devorare quærentes. Impetrate tunc mihi illā gratioſam ſententiam: Veni benedicte Patris mei, accipe regnū, quod paratum eſt ab initio mundi, ut vobiſcum communem immortalem Dominum glorificem in ſæcula.

Amen.

DOmine DEus, ego ſum miſer ille, quem tu pro Paterna bonitate tua creaſti, & per ignominioſiſſimam mortem unigeniti tui de poteſtate inimici redemiſti: Tu ſolus imperium & Dominium in me habes, meque ſalvare potes, ſecundùm immenſam miſericordiam tuam, in qua ſpero & confido.

Oratio præcedens teſte Hier. Drexelio in ſuo Prodromo fol. 300. tantæ virtutis eſt, vt coram moriente recitata, vel cogitata, non facile ſinat perire morientem.

ORATIONES EIACVLATORIÆ *pro impetranda felici morte.*

SIT Nomen Domini IESV benedictum, & ſuper nos invo-

catum

catum; ut per ipsum in vita, & morte, gratiam & pacem inveniamus.

O bone IESV propter nomen sanctum tuum, esto mihi IESVS, & salva me, nunc & in hora mortis meæ.

O IESV DEVS Cordis mei, infinitè amabilis, recipe me in hora mortis meæ, intra benignissimum Cor tuum, nec permittas me in æternum separari à te.

Suscipe me bone IEsu inter amorosa illa brachia, quæ pro me in Cruce extendisti: suscipe me inter desiderabiles amplexus tuos, & trahe ad te animam meam.

Non me deseras dulcissime IESV, totâ vitâ meá, vel maximè in hora mortis meæ.

O bone I E S V, ne perdat me

iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua.

IESV Fili DEi miſerere mei.

Nunc & in ultimo vitæ momento, IESV mei peccatoris memento.

Quid faciam miſer? quo fugiam in extremo vitæ meæ momento, niſi ad te Deus meus: miſerere mei, dum veneris in noviſſimo vitæ meæ die.

Ne derelinquas me Domine Deus meus in hora mortis meæ, & ne diſceſſeris à me.

Ne permittas me ô Deus damnari, quem tu de nihilo creaſti.

Dulciſſime IESV tuo famulo ſubveni, quem pretioſo ſangvine redemiſti.

Opus manuum tuarum Do-

mine

mine,& pretium ſangvinis tui ne deſpicias. Vulnera manuum tuarum, precor ut aſpicias: Ecce in manibus tuis Domine IESV deſcripſiſti me, lege ipſam ſcripturam,& ſalva me nunc, & in hora mortis meæ. *D. Aug. ſol. c. 2.*

O IESV, IESV, IESV permitte me intrare in numerum electorum tuorum.

Quærens me ſediſti laſſus,
Redemiſti Crucem paſſus,
Tantus labor non ſit caſſus,

Ne perdas cum impijs DEus animam meam, & cum viris ſangvinum vitam meam.

Ne tradas beſtijs animam cõfitentem tibi DEus meus, & animam pauperis tui ne obliviſcaris in finem.

Ne ſimul tradas me cum peccatori-

catoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Custodi me Domine, ut pupillam oculi: sub umbra alarum tuarum protege me, nunc & in hora mortis meæ.

Adjutor meus esto DEVS, in hora mortis meæ.

Ne derelinquas me in tempore tribulationis; Neq; despicias me opus manuum tuarum.

Ne proijcias me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Esto mihi in DEum, protectorem, & in domum refugij, & in locum munitum, (nunc & in hora mortis meæ) ut salvum me facias.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum, nunc & in hora

in hora mortis meæ.

Passio Domini nostri IESV CHristi custodiat animam meam in vitam æternam.

Protector noster aspice Deus, & respice in faciem CHristi tui; ac per merita & passionem ejus, miserere mei, nunc & in hora mortis meæ.

Deus propitius esto mihi peccatori, sicut in hac ipsa, sic etiã in ultima vitæ meæ hora.

Factus sum sicut homo sine adjutorio, respice in me Deus, & miserere mei nunc, & in hora mortis meæ.

Dicam Deo meo; noli me cõdemnare, quia tu pro me damnatus es. Noli me derelinquere, quia 33. annis quæsivisti me. Noli mei oblivisci, qui in manibus

tuis

tuis descripsisti me.

Recordare Domine, quanto pretio emeris me? tuus ego sum salvum me fac nunc, & in hora mortis meæ.

Ah IESV, fieri ne poterit, ut à te dilectus & sic dilectus, non sim inter paucos electos? Tu propter me à Iuda traditus es Gentibus, & ego à te tradar torroribus? Tu propter me descendisti de cœlo, & ego descendam ad inferos? Tu proprer me passus es, & ego peribo? Tu ptopter me mortuus es, & ego non vivam? Scio IESV, tu es vita, ergo non moriar, sed vivam: *Pr. Staniburstus de Paß. CHristi fol. 69.*

Adjutor meus, & protector meus tu es: DEVS meus ne tardaveris in auxilium mihi, nunc

& in

& in hora mortis meæ.

Non mortui utiq; laudabunt te Domine, neq; omnes, qui descendunt in infernum.

Domine, Pater, & Dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in hora mortis meæ. *Eccl. 23.*

Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. *Ier. 17.*

In te Domine speravi, non cõfundar in æternum.

O IESV spes mea, & refugiũ, & susceptor meus, & liberator meus; miserere animæ quærenti, & amanti te, & suspiranti ad te, & non confidenti nisi in infinita misericordia tua, nunc & in hora mortis meæ.

O bone IESV exaudi me.

Intra vulnera tua abscõde me.

Ne permittas me separari à te.

In ho-

In hora mortis meæ voca me.
Iube me venire ad te.
Vt cum Sanctis tuis laudem te, in
sæcula sæculorum Amen.
Mater Dei, memento mei, nunc
et in hora mortis meæ.
Maria Mater gratiæ,
Mater misericodiæ;
Tu nos ab hoste protege,
Et horâ mortis suscipe.
Tibi nos ô Maria commendamus.
Tu procura, ne pereamus;
Apud te in hora mortis securum
Omnes refugium inveniamus.
Eja Mater natum ora:
Vt nos servet mortis horâ.
Adsit IESVS pius Pater:
Adsis Virgo pia Mater.
Suscipe me ô Sancta MARIA in
servum perpetuum: adsis mihi
in actionibus meis omnibus, nec
me

me deſeras in hora mortis meæ.

Sancte Michaël Archangele, conſtituit te Deus Principem ſuper omnes animas ſuſcipiendas; ſuſcipe, ah! ſuſcipe in hora mortis meam quoq; animam, ut virtutum Princeps cœleſtium.

Princeps glorioſiſſime Michaël Archangele, eſto memor noſtri hîc & ubiq;, nunc & in hora mortis, ſemper precare pro nobis Filium DEI.

S. Angele Dei, qui Cuſtos es mei, me tibi commiſſum, pietate ſuperna, in hora mortis meæ, illumina, cuſtodi, rege, & guberna.

Sancti Angeli DEi, ne tunc dicatis: Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata; derelinquamꝰ eam. Ne derelinquite nos in

hora

hora mortis, ah! ne n̄os derelinquite.

Precatio ad quemvis Sanctum.

SVpplex te oro & obtestor ô Sancte N. digneris ante conspectum Domini, mei miserrimi peccatoris recordari, ut tuis meritis & deprecationibus, ab omnibus, tùm corporis, tùm animæ, malis defendar & conserver, ut in omni virtute, & opere bono, quàm maximè proficiam, in hora verò mortis & exitus mei, adversus inimicorum insidias, velis mihi fideliter subvenire, & animam meam ab omni tribulatione liberatam, ad cœlestis Paradisi gaudia perducere digneris, Amē.

OMnes Sancti Patroni mei, à quibus beneficium unquam accepi, estote Custodes animæ

meæ

meæ, nunc & in hora mortis meæ.

Ex Patre Leopoldo Mancino S. I.

OMnes Sancti mei nominis, ac Patroni mei menſtrui, & in quorum diem feſtum mors mea incidet, adjuvate me in hora mortis meæ.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, intercedere dignemini, pro noſtra omniumq; ſalute, nunc & in hora mortis noſtræ Amen.

SVbvenite Sancti DEi, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam meam, in hora mortis meæ, & offerentes eam in conſpectu Altiſſimi.

A M E N.

CONSI-

CONSIDERATIONES
Breves & piæ ad fervorem in nobis excitandum.

Sæpiùs in mentem tibi revoca, vitæ hujus brevitatem; & vanitatem, alterius verò æternitatē.

Certitudinem item mortis, & incertitudinem modi ac temporis, post quod neq; meritis, neq; pænitentiæ locus vllus supererit, & attonitus tuam in bene agendo socordiam admirare.

Considera vbi tu post breve tempus futurus sis in omnem æternitatem. Præterit enim figura hujus mundi, & transeunt omnia tanquam umbra.

Sœpè illius memento; salutem dependere ab ultimo vitæ momento.

Vide

Vide precor anima Christiana, quanta tibi imposita sit rectè vivendi necessitas, inter æterna supplicia, & præmia constitutæ.

Noli ô Anima, noli oblivioni tradere, & æternam te esse, & æternùm aut feliciter, aut miserè victuram.

Vive igitur pro æternitate, dimica pro æternitate, patere pro æternitate.

Si quid ô mortalis æternum victure curas, hoc vnicum vel maxime Cura; ne æternùm sis miser, & infelix.

Sic quamlibet (cùm fortè sit ultima) diem exigas, quam mereatur Coronare felix æternitas.

Inter omnia hoc unum cave præ omnibus, ne quid agas, quod egisse pœnitebit: dum animam ages.

Quid-

Quidquid agis aut cogitas, cõſidera, quia cum his omnibus manifeſtari nos oportebit ante Tribunal CHriſti. Ita ergo omnia age, ne in judicio DEi coram toto mundo confundaris.

Cogita, quia Deus cùm acceperit tempus, etiam juſtitias judicabit: quantò magis negligentias, vel mala opera: vide igitur, ne tunc confundaris. Cogita an non tibi cum D. Aug: nunc lamentandum; Væ mihi miſero! cùm venerit dies judicij, & aperti fuerint libri conſciẽtiarum, cum dicetur de me; Ecce homo & opera ejus. *Medit. c. 23.*

In omni actione cogita: hoc quod ego ago, tota ſpectabit æternitas.

Cogita pariter, quid? & quomodo

modo? à te factum ultimâ vitæ horâ velles.

Manè, alto animo imprime hæc aurea verba S. Scholasticæ. Dies unus bene impensus obsequio DEi, plus valet, quàm milliones annorum, ad obtinendum universum mundum.

Quotidie cogita cum B. Antonio, Hodie te cæpisse DEo servire, hodie te id ipsum finiturum.

Hoc commendavit etiam ipse CHristus Dominus, B. Magdalenæ de Pazis. Imaginare omnia opera, & verba tua fore ultima.

Memineris inter omnes horas vitæ tuæ, esse etiam unam horã, quâ tibi moriendum est, & in judicio divino comparẽdum: an non igitur vigilandum est, ne imparatum te mors adoriatur?

Cogita

Cogita, quàm multi, jam æternitatem inchoàrunt, quibus si daretur hæc horula ad agendam pœnitentiam, quam ardentibus votis ante aras se prosternerent orantes?

Tu verò æternitatis immemor, in his te occupas, & his delectaris, quæ pereunt, & transeunt, ac tecum manere non possunt. D. *Bern.*

Væ nobis! qui horâ novissimâ vocati, magnã partẽ illius horulæ ludẽdo, comedẽdo, & dormiẽdo infructuosè insumimus, cùm deberemus de momẽtis singulis ita solliciti esse, ut ne unum quidem momentum otiosè nobis elabatur: pendet enim ab his momentis æternitas præmiorum, aut pœnarum.

Si sapis

Si ſapis ô anima Chriſtiana, nunc inſtanter operare circa ſalutem tuam, quando tempus habes; fac nunc dum licet, quod poſt mortem ſine ulla dubitatione toto corde feciſſe deſiderabis, & non licebit.

Sœpe & ſeriò cogita, quæ & quot bona opera frequentaſſe te optabis.

1. Sub hora mortis, quâ præſcindetur omnis Spes merendi, & finietur tempus agendi, quæ velles. 2. Poſt mortem coram Tribunali juſti Iudicis, cùm dicetur de te: *Ecce homo & opera eius.* 3. In æternitate felici aut infelici, cùm clarè videbis, quàm immenſum gloriæ pondus acquirere pio aſſiduoq; bonorum operum uſu potuiſſes, ſi voluiſſes.

Quidquid igitur pro anima tua feceris, hoc tuum eſt, quod autem neglexeris, perdidiſti. *D. Chryſoſt.*


INRI

AFFECTVS VIRTVTVM
Ex contemplatione
CHRISTI CRVCIFIXI.

DETESTATIO PECCATORVM.

Q*Vid sunt plagæ istæ*, Domine IESV, *in medio manuum tuarum?* his domi tuæ *plagatus sum*; his me plagaverunt peccata tua.

Dilecta anima, *quid feci tibi, aut in quo contristavi te* (imò quid potui facere tibi & non feci) ? *responde mihi*. Cur igitur tot me vulneribus affecisti?

Ah Domine IESV, cur te offendi! ah si te nunquam offendissem!

TIMOR DEI.

ATTende, quàm gravia oportet fuisse vulnera, pro quib9 necesse fuit Dominũ CHristum,

& tali quidem modo, vulnerari! Bern.

Anima peccatrix, noli flere super me; sed super te ipsam fleto, & super actus tuos: *quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

Confige Domine, timore tuo cor meum, & carnes meas: à judicijs enim tuis, & ô quantùm à supplicijs tuis! timui.

FIDVCIA.

QVI etiam proprio Filio non pepercit, quomodo non cum illo nobis omnia donavit. Rom: 8.

Attendamus ad judicium dilectionis, & promissionis DEi. Quales arrhas accepimus? Tenemus mortem CHristi; tenemus sangvinem CHristi. Si non amaret, talia pignora non daret. *August.*

Tradi-

Tradidiſti pro nobis Filium, Pater; ut omnis qui credit in illum non pereat. Credo, Domine, non pereat ſervus tuus, quem ſic amâſti.

HVMILITAS.

SIC exinanivit ſemetipsũ DEVS Majeſtatis, ut humiliari diſceret pulvis, & nihil. Dominus IESVS CHriſtus inter plagiarios, patibularios, ſceleratos deputatur. Et ambiat Chriſtianus, magnus inter homines reputari?

Intolerandæ ſuperbiæ eſt, ut ubi Majeſtas humiliatur, vermiculus infletur, & intumeſcat.

Bernard.

Viciſti, Domine IESV viciſti ſuperbiam meam humilitate tua.

Gverr. Abb.

DISCE *à me quia mitis sum & humilis corde.*

Faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me; Dedi percutienti me maxillam &c.

Inſpice, & fac ſecundum exemplar.

Si ego Dominus, & Magiſter tuli pro te probra, colaphos, patibulum; & tu debes pro me levem injuriam, & contemptum pati.

IESV patientiſſime doce me patientiam.

ABNEGATIO AMORIS SENSVALIS.

DOmino IESV plus quinque plagarum millibus ſteterunt voluptates tuæ. Et juvet vel eo pretio voluptatem mercari?

Quot

Quot vulnera tot ora, quibus te Dominus IESVS rogat, ut ab hac cogitatione, aſpectu, vel actu impuro abſtineas. An tam æquã DEi tui petitionem repudiabis?

Deus meus pendet in patibulo; & ego voluptati operã dabo? *Ber.* Abſit, Domine, abſit. Non decet ſub ſpinoſo capite membrum eſſe delicatum.

OBEDIENTIA.

HVMILIAVIT *ſemetipſum Dominus IESVS, factus* pro nobis *obediens vſq; ad mortem.* Quouſque tu hactenus pro illo factus obediens?

Quid magnum, ſi, tu, qui pulvis es, & nihil, propter Deum te homini ſubdis; quãdo ego omnipotens, & altiſſimus me homini propter te humiliter ſubjeci?

Thom. à Kemp.

Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto IESV, qui cùm in *Forma Dei* eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualē DEO; ſed ſemetipſum exinanivit, pro nobis *Formam Servi* accipiens.

Ad Philippenſ. 1.

Servus tuus ſum, Domine, doce me facere voluntatem tuā, quia Deus meus es tu.

COMPASSIO.

EGO vir dolorum. Immò tu vir amorum! nam per tua vulnera, patent, ô CHriſte, tui amoris viſcera.

Attende, & vide, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor Domini IESV pro nobis conſputi, colaphis, ac flagellis cæſi, ſpinis coronati, crucifixi!

Eia

Eja Mater fons amoris, me sentire vim doloris, fac, ut tecum lugeam.

GRATITVDO.

EGO *nunquam obliviscar tui: ecce enim in manibꝰ meis descripsi te:* & potes vnquam tu mei oblivisci?

Hæc ego pro te. Quid tu hactenus pro me? quid modò? quid deinceps? *Nondum vsq; ad sangvinem restitisti.*

Domine IEsu, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti animæ tuæ vnicæ propter me. *Hîc virile propositum institue.* Charitas tua, Domine IESV, urget nos, ut jam non sibi vivant servi tui; sed ei, cui plus mille vitas debent, qui pro ipsis mori dignatus est.

SIC *non potes unâ horâ* infirmari, mortificari, tentari, adversâ fortunâ laborare *mecum*?

Triſtis es & deſolatus: ſed *mecum*: ſed nunquid ut ego? nunquid uſque ad mortem, uſque ad ſudorem ſangvineum?

Hæc oportuit me pati, & intrare in gloriam meam. Visne igitur tu gratis intrare in alienam?

Pater, ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte; verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat. Ita, Pater, fiat voluntas tua.

Nolo, Domine, nolo vivere ſine vulnere, quia te video vulneratum. *Bonavent.*

PERFECTA SVI OBLATIO.

EN ego totus tuus. Quando tu totus meus? cur non hactenus

tenus? Cur non ſaltem modò?

Nihil me impedivit, quominus eſſem totus tuus: Non flagra, non patibulum, non cœlum, nō divinitas. Quid te impedit, quominùs ſis totus meus?

Dominus meus, & Deus meus. Tu totus meus; ego totus tuus.

En, Deus meus dat mihi ſangvinem ſuum, vitam ſuam, ſe totum; & non dabo illi me totum, *qui tantus tantillum tot beneficijs prævenit, qui toto ſe totum me comparavit?* *Bern.*

CHARITAS.

SIC *Deus dilexit mundum*: ſic dilexit!

O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! ô inæſtimabilis dilectio charitatis! ut ſervum redimeres, Filium tradidiſti!

Pater

Pater sancte, tantus amor non sit cassus.

Dilecta Anima, dubitas etiamnum an te diligam? accede introspice, lege in intimo cordis mei: *Deus tuus, moritur amore tui.*

Quid amas, ô anima mea, cùm IESVM Crucifixum amas?

ZELVS ANIMARVM.

CONTEMPLARE, dilecta Anima, ut clament ad te vulnera mea: ne scilicet frustra sangvinem fuderim. *Ita Christus S. Ludgardi.*

Dominus IESVS, ut lucretur animas, non aspernatur formam servi, immò nec fatui, latronis, patibularij. Quam tu *animarum causa* formam respues.

Quàm pretiosa es, ô Anima, quam tãto pretio emit Deus tuus!

Et ecce

Et ecce, Domine IESV, in sanguinis tui opprobriū, ijs ipsis animabus infernus impletur. *S. Xaver.*

DESIDERIVM ÆTERNORVM:

QVid tibi promisit DEVS, ô homo mortalis? quia victurus es in æternum. Non credis? crede, crede. Plus est jam quod fecit, quàm quod promisit. Quid fecit? mortuus est pro te. Quid promisit? ut vivas cum illo. Incredibilius est, quod mortuus est æternus; quàm ut in æternum vivat morralis. *August.*

IESV nostra redemptio, amor & desiderium; Deus creator omnium, Homo in fine temporum.

Quæ te vicit clementia, vt ferres nostra crimina, crudelem mortem patiens, vt nos à morte tolleres?

Ipsa te cogat pietas, ut mala nostra superes, parcendo, & voti compotes, nos tuo vultu saties.

Hymn. Eccl.

ORATIO PACTI.

MAnus tuæ, Domine, fecerunt nos, manus, inquam, illæ, quæ affixæ clavis sunt pro nobis: opera manuum tuarum ne despicias, vulnera manuum tuarum, precor, ut inspicias: Ecce in manib9 tuis descripsisti nos, Domine IESV lege ipsam scripturam, & salva nos. O bone IESV exaudi nos; intra vulnera tua absconde nos: ne permittas nos unquam à te separari; in hora mortis voca nos: ut cum sanctis tuis misericordias tuas in æternum cātare possimus. Am.

EXERCI-

EXERCITIVM SPIRITVALE.

Ab omni Fideli CHRISTIANO *ad minimum ſemel de die attentè dicendum.*

ADoro Te Sãctiſſima TRINITAS, PATER & FILIVS, & SPIRITVS Sanctus, tres Perſonæ, vnus & ſolus DEVS.

Deijcio me in abyſſo mei nihili, ſub conſpectu Divinæ Majeſtatis Tuæ.

Credo firmiſſimè, paratus mille vitas profundere, in conteſtationem omnium eorum, quæ nobis in ſacra Scriptura revelaſti, & per veram Eccleſiam tuam credenda propoſuiſti.

Omnem ſpem meam in Te colloco, & quidquid poſſum habere boni, ſive ſpiritualis, ſive

corpo

corporalis, & in hac & in altera vita, id totum desidero, spero & volo solùm consequi de Tua Manu DEUS meus vita mea, & unica spes mea.

Consigno Tibi hodie, & in perpetuum corpus & animam meam, omnes potentias meas, Memoriam, Intellectum, voluntatem, & omnes sensus meos.

Protestor me non consentire, neq; consensurum unquam, quãtum in me est, in ullam rem, quæ fiat vel cum minima offensa Tuæ Divinæ Majestatis.

Propono firmissimè impendere omne esse meum, facultates ac vires meas, ad servitium & Gloriam Tuam.

Paratus sum suscipere, quascũque adversitates mihi Paterna Tua

Manus

Manus immiſerit, ad dandum guſtum Beatiſſimo Cordi Tuo.

Vellem me totum, quantus quantus ſum, impendere, & procurare, ut ab omnibus Tibi ſerviatur; atq; omnes homines, Te glorificent & ament Deum Creatorem ſuum.

Gaudeo ſummè de Tua æterna felicitate, & exulto de Tua tam magna Gloria, in Cælo & in terra.

Gratias Tibi ago infinitas, pro innumeris beneficijs, quæ mihi & toti mundo collata ſunt, & in eum inceſſanter: à benigniſſima Tua providentia conferuntur.

Amo Tuam infinitam Bonitatem propter ſeipſam, ex toto affectu Cordis & Animæ meæ; & vellem, ſi poſſem, amare eo amore

more, quo te amant Angeli & homines juſti, cum quorum amore, conjungo imperfectiſſimum amorem meum.

Offero Divinæ Majeſtati Tuæ in unione meritorum paſſionis vitæ & mortis CHriſti. ex nunc, pro ſemper, omnia opera mea; pretioſiſſimo Sangvine IESV Redemptoris noſtri lota & involuta.

Volo etiam omne illud quod poſſum offerre in pœnitentiam & ſatisfactionem meorum peccatorum.

D E V S meus, cum Tu ſis infinitè dignus omni amore & ſervitio, ſiquidem Tu es, qui es, doleo, quantum poſſum maximè, de omnibus meis peccatis, illaq́; deteſtor, ſupra omnia illa mala: peto humillimè veniam, fa-

cioq́

cioq́; firmissimum propositum, nunquam offendendi Tuam Bonitatem in æternum.

In Tua Vulnera me proijcio, ô IESV ibi me absconde & defende, hodie & semper, donec mihi largiaris gratiam videndi Tui & amandi in æternum. Amen.

AD DOMINVM IESVM CRVCIFIXVM.

O Domine IESV CHriste, per amaritudinē illius passionis, quam sustinuisti in Cruce, maxime in illa hora, quando benenedicta Anima tua egressa est de sancto Corpore tuo, miserre Animæ meæ, maximè in egressu suo. Amen.

HORO-

HOROLOGIUM PASSIONIS CHRISTI.

VESPERA.

S*exta* pedum sordes CHristum est mirata lavantem.
O animi labes ablue, CHRISTE, mei.
septima vivifici dat mystica fercula panis.
Mystica sæpè meam pascite fercla famem.
octava ardenti miscet prece sangvinis imbres.
In precibus glacies quàm riget alta meis!
Nona capit; vinctoque Annas Caiphasq; potitur.

Quis

Quis mihi det Domini vincula ferre mei!

N O X.

Nocte Deum totâ carcer milesq́; fatigant.
Et me ſomnus iners, me juvet alta quies!

M A N E.

Quarta Deum pugnis, ſputiſque probriſq́; laceſſit.
Quæ merui, hæc in me probra furorq́; cadant.
Quintâ Pontificum damnatur vocibus inſons.
Me cenſura levis ſi notet ánne querar?
Siſtit multandum dirâ nece *ſexta* Pilato.

Poſcunt

Poscũt nostra tuam crimina, Christe, necem.

Septimâ Idumæo stulta est sapientia Regi.
Te sperni vulgo judice grande putas?

Octavâ IEsum postponit turba Barabbæ.
Parce, Deus; turbæ pars ego magna fui.

Nona flagris corpus, caput hirto sente cruentat.
Hoc duce miles iners vulnera nulla geram?

Damnat ad immitem *Decimæ* inclementia mortem.
Ah! fuit hæc noxis debita pœna meis.

Bajulat *Vndecimâ*, quod mox subit hostia lignum.
O tecum, IEsu, victima fausta cadam!

MERIDIES.

Hoſtibus, & dextro parcit *bis ſexta* latroni.
Diſcedant animo livor & ira meo.
Prima pio Matri Ioannem fœdere nectit.
Fœdere in hoc utinam me quoque ſcribat amor!
Hora *ſecunda* Deum ſitientem potat aceto.
Vah gula! quæ miſces talia pocla Deo.
Auctorem vitæ morientem *tertia* luget.
Heu me! dum video te, mea vita mori.
Quarta ſalutifero cor IEſu vulnere pandit.
O requieſce illo cordis in hoſpitio!

Victorem mortis componit
Quinta sepulchro.
O specus, ô animæ chara
latebra meæ!

ORATIO.

DEVS qui nobis in sancta Sindone, qua Corpus tuum Sacratissimum de Cruce depositum, à Ioseph involutum fuit, Passionis tuæ Vestigia reliquisti: Concede propitius, ut per mortem & sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus S. Deus, per omnia secula, s. Amen.

Qui hanc orationem coram imagine SS. Sindonis D. N. IESV Chr. devotè dicit, consequitur indulgentiam plenariam, & liberat animam e purgatorio, Clemens VIII. concessit, & Paulus V. confirmavit.

FINIS.

Pro Mev. Loc Jeti

Pro Mei Loc Jeti